The Digital *Liber exceptionum* Project (https://exceptiones-project.wlu.ca)

Augustinus de uera religione (fol.3va-4rb)

1. Ecclesia carnales suos. id est uiuentes aut sentientes carnaliter. tanquam paleas tolerat. quibus in area frumenta tutiora sunt. donec talibus tegminibus exuantur. sed quia in hac area. pro uoluntate quisque. uel palea. uel frumentum est. tamdiu sustinetur peccatum. aut error cuiuslibet. donec aut accusatorem inueniat. aut prauam opinionem pertinaci animositate deffendat.

   Carnales autem suos, id est uiuentes aut sentientes carnaliter tamquam paleas tolerat, quibus in area frumenta tutiora sunt, donec talibus tegminibus exuantur. Sed quia in hac area pro uoluntate quisque uel palea uel frumentum est, tamdiu sustinetur peccatum aut error cuiuslibet, donec aut accusatorem inueniat aut prauam opinionem pertinaci animositate defendat.

   Augustinus Hipponensis, *De uera religione*, 6.10 (CCSL 32, K.-D. Daur ed., pp.194-5, ll.10-16).

2. Omnis res uel substantia uel essentia uel natura. uel si aliquo alio uerbo. melius enunciatur. simul habet hec tria. ut et unum aliquid sit. et specie propria discernatur a ceteris. et rerum ordinem non excedat.

   Omnis enim res uel substantia uel essentia uel natura uel si quo alio uerbo melius enuntiatur, simul habet haec tria: ut et unum aliquid sit et specie propria discernatur a ceteris et rerum ordinem non excedat.

   Augustinus Hipponensis, *De uera religione*, 7.13 (CCSL 32, K.-D. Daur ed., pp.196-7, ll.35-38).

3. Eterno creatori adherentes. et nos eternitate afficiamur necesse est.

   Aeterno enim creatori adhaerentes et nos aeternitate afficiamur necesse est.

   Augustinus Hipponensis, *De uera religione*, 10.19 (CCSL 32, K.-D. Daur ed., p.199, ll.19-20).

4. Que uera esse perspexeris tene et ecclesie catholice tribue. que falsa respue. et michi qui homo sum ignosce. que dubia crede. donec aut respuenda esse. aut uera esse. aut semper credenda esse. uel ratio doceat. uel precipiat auctoritas. Intende igitur in hec que sequuntur. diligenter et pie quantum potes. tales enim adiuuat deus.

Quae uera esse perspexeris tene et ecclesiae catholicae tribue, quae falsa respue et mihi qui homo sum ignosce, quae dubia crede, donec aut respuenda esse aut uera esse aut semper credenda esse uel ratio doceat uel praecipiat auctoritas. Intende igitur in haec quae sequuntur diligenter et pie, quantum potes. Tales enim adiuuat deus.

Augustinus Hipponensis, *De uera religione*, 10.20 (CCSL 32, K.-D. Daur ed., p.200, ll.38-44).

5. Nulla uita est que non sit ex deo. quia deus utique summa uita est. et ipse fons uite. nec aliqua uita in quantum uita est. malum est. sed in quantum uergit ad mortem. mors autem uite non est nisi nequicia. que ab eo. quod nec quicquam sit dicta est. et ideo nequissimi homines. Nichili homines appellantur. Vita ergo uoluntario defectu deficiens ab illo qui eam fecit. et cuius essentia fruebatur. et uolens contra dei legem frui corporibus quibus eam deus prefecit. uergit ad nichilum.

   Nulla uita est, quae non sit ex deo, quia deus utique summa uita est et ipse fons uitae, nec aliqua uita, in quantum uita est, malum est, sed in quantum uergit ad mortem. Mors autem uitae non est nisi nequitia, quae ab eo quod nequiquam sit dicta est, et ideo nequissimi homines nihili homines appellantur. Vita ergo uoluntario defectu deficiens ab illo, qui eam fecit et cuius essentia fruebatur, et uolens contra dei legem frui corporibus, quibus eam deus praefecit, uergit ad nihilum.

   Augustinus Hipponensis, *De uera religione*, 11.21 (CCSL 32, K.-D. Daur ed., p.200, ll.1-8).

6. Quid est dolor qui dicitur corporis nisi corruptio repentina salutis. eius rei quam male utendo anima corruptioni obnoxiauit. Quid est autem dolor qui dicitur animi nisi carere mutabilibus rebus. quibus fruebatur. aut frui se posse sperauerat. et hoc est totum. quod dicitur malum. Id est peccatum. et pena peccati.

   Quid est enim dolor qui dicitur corporis, nisi corruptio repentina salutis eius rei, quam male utendo anima corruptioni obnoxiauit? Quid autem dolor qui dicitur animi, nisi carere mutabilibus rebus, quibus fruebatur aut frui se posse sperauerat? Et hoc est totum quod dicitur malum, id est peccatum et poena peccati.

   Augustinus Hipponensis, *De uera religione*, 12.23 (CCSL 32, K.-D. Daur ed., p.202, ll.10-15).

7. Defectus iste quod peccatum uocatur. si tanquam febris inuitum occuparet. recte iniusta pena uideretur. que peccantem consequitur. et que dampnatio nuncupatur. Nunc uero usque adeo peccatum uoluntarium est. malum est. ut nullo modo sit peccatum, si non sit uoluntarium.

Defectus autem iste, quod peccatum uocatur, si tamquam febris inuitum occuparet, recte iniusta poena uideretur, quae peccantem consequitur et quae damnatio nuncupatur. Nunc uero usque adeo peccatum uoluntarium malum est, ut nullo modo sit peccatum, si non sit uoluntarium.

Augustinus Hipponensis, *De uera religione*, 14.27 (CCSL 32, K.-D. Daur ed., p.204, ll.1-5).

8. Seruos suos meliores esse indicauit deus. si ei seruirent liberaliter. quod nullo modo fieri posset si non uoluntate. sed necessitate seruirent.

   Tales enim seruos suos meliores esse deus iudicauit, si ei seruirent liberaliter, quod nullo modo fieri posset, si non uoluntate, sed necessitate seruirent.

   Augustinus Hipponensis, *De uera religione*, 14.27 (CCSL 32, K.-D. Daur ed., p.204, ll.16-19).

9. Unicus filius consubstantialis patri. et coeternus totum hominem suscipere dignatus est. et uerbum. caro factum est. et habitauit in nobis. ita enim demonstrauit carnalibus et non ualentibus mente intueri ueritatem. corporeisque sensibus deditis. quam excelsum locum inter creaturas habeat humana natura. quod non solum uisibiliter. nam id poterat. et in aliquo ethereo corpore ad nostrorum aspectuum tolerantiam temperato. sed hominibus. in uero homine apparuit. ipsa enim natura suscipienda erat. que liberanda. et ne quis forte sexus a suo creatore se contemptum putaret. uirum suscepit. natus ex femina est.

   Sed cum omnibus modis medeatur animis deus pro temporum opportunitatibus, quae mira sapientia eius ordinantur, de quibus aut non est tractandum aut inter pios perfectosque tractandum est, nullo modo beneficentius consuluit generi humano quam cum ipsa dei sapientia, id est unicus filius consubstantialis patri et coaeternus totum hominem suscipere dignatus est, *et uerbum caro factum est et habitauit in nobis*. Ita enim demonstrauit carnalibus et non ualentibus intueri mente ueritatem corporeisque sensibus deditis, quam excelsum locum inter creaturas habeat humana natura; quod non solum uisibiliter – nam id poterat et in aliquo aethereo corpore ad nostrorum aspectuum tollerantiam temperato – sed hominibus in uero homine apparuit. Ipsa enim natura suscipienda erat quae liberanda. Et ne quis forte sexus a suo creatore se contemptum putaret, uirum suscepit, natus ex femina est.

   Augustinus Hipponensis, *De uera religione*, 16.30 (CCSL 32, K.-D. Daur ed., pp.205-6, ll.1-16). cf. Ioh. 1:14

10. Satellites uoluptatum diuicias perniciose populi appetebant. Christus pauper esse uoluit. honoribus et imperiis inhyabant. rex fieri noluit carnales filios magnum bonum putabant. tale coniugium. prolemque contempsit. contumelias superbissime horrebant. omne genus

contumeliarum sustinuit. iniurias intolerabiles esse arbitrabantur. Que maior iniuria. quam iustum innocentemque dampnari. dolores corporis execrabantur. Flagellatus atque cruciatus est. mori metuebant. morte multatus est. ignominiosissimum mortis genus crucem putabant. crucifixus est. omnia que habere cupientes non recte uiuebamus. carendo. uilia fecit. omnia que uitare cupientes. a studio deuiebamus. perpetiendo deiecit. non enim ullum peccatum committi potest. nisi dum petuntur ea que ille contempsit. aut fugiuntur. que ille sustinuit. tota itaque uita eius in terris per hominem quem suscipere dignatus est. disciplina morum fuit.

Satellites uoluptatum diuitias perniciose populi appetebant; pauper esse uoluit. Honoribus et imperiis inhiabant: rex fieri noluit. Carnales filios magnum bonum putabant; tale coniugium prolemque contempsit. Contumelias superbissime horrebant; omne genus contumeliarum sustinuit. Iniurias intollerabiles esse arbitrabantur; quae maior iniuria quam iustum innocentemque damnari? Dolores corporis exsecrabantur; flagellatus atque cruciatus est. Mori metuebant: morte multatus est. Ignominiosissimum mortis genus crucem putabant; crucifixus est. Omnia, quae habere cupientes non recte uiuebamus, carendo uilefecit. Omnia, quae uitare cupientes ab studio ueritatis deuiabamus, perpetiendo deiecit. Non enim ullum peccatum committi potest, nisi dum appetuntur ea quae ille contempsit, aut fugiuntur quae ille sustinuit. Tota itaque uita eius in terris per hominem, quem suscipere dignatus est, disciplina morum fuit.

Augustinus Hipponensis, *De uera religione*, 16.31-32 (CCSL 32, K.-D. Daur ed., pp.206-7, ll.28-42, 1-2).

11. Hec est lex diuine prouidentie. ut nemo a superioribus adiuuetur ad cognoscendam et percipiendam gratiam dei. qui non ad eandem puro affectu inferiores adiuuerit.

    Haec enim lex est diuinae prouidentiae, ut nemo a superioribus adiuuetur ad cognoscendam et percipiendam gratiam dei, qui non ad eandem puro affectu inferiores adiuuerit.

    Augustinus Hipponensis, *De uera religione*, 28.51 (CCSL 32, K.D. Daur ed., pp.220-1, ll.19-22).

12. Quiescite nolite certare. nisi cum consuetudine corporum. ipsam uincite uicta erunt omnia. Vnum certe querimus quo simplicius nichil est. ergo in simplicitate cordis queramus illum. agite ocium inquit. et agnoscetis. quia ego sum dominus. non ocium desidie. sed ocium cogitationis. ut a locis ac temporibus uacetis. hec enim fantasmata tumoris et uolubilitatis. constantem unitatem uidere non sinunt. loca offerunt quod amemus. tempora subripiunt quod amamus et relinquunt. in anima turbas fantasmatum quibus in aliud atque aliud cupiditas incitetur. Ita fit inquietus atque erumpnosus animus. frustra tenere a quibus tenetur exoptans. Vocatur ergo ad ocium. id est ut ista non diligat

que diligi sine labore non possunt. sic enim eis dominabitur. sic non tenebitur. sed tenebit. Iugum enim meum inquit leue est. huic iugo qui subiectus est. subiecta habet cetera. non ergo laborabit. non enim resistit quod subiectum est. sed miseri amici huius mundi. cuius domini erunt. si filii dei esse uoluerint. quoniam dedit eis potestatem filios dei fieri. amici ergo huius mundi tam timent ab eius amplexu separari. ut nichil eis sit laboriosius quam non laborare.

Quod si haec intueri palpitat mentis aspectus, quiescite. Nolite certare nisi cum consuetudine corporum. Ipsam uincite, uicta erunt omnia. Vnum certe quaerimus, quo simplicius nihil est. Ergo in simplicitate cordis quaeramus illum. *Agite otium*, inquit, *et agnoscetis, quia ego sum dominus*. Non otium desidiae, sed otium cogitationis, ut a locis ac temporibus uacetis. Haec enim phantasmata tumoris et uolubilitatis constantem unitatem uidere non sinunt. Loca offerunt quod amemus, tempora surripiunt quod amamus, et relinquunt in anima turbas phantasmatum, quibus in aliud atque aliud cupiditas incitetur. Ita fit inquietus et aerumnosus animus frustra tenere a quibus tenetur exoptans. Vocatur ergo ad otium, id est ut ista non diligat, quae diligi sine labore non possunt. Sic enim eis dominabitur, sic non tenebitur, sed tenebit: *Iugum meum*, inquit, *leue est*. Huic iugo qui subiectus est, subiecta habet cetera. Non ergo laborabit, non enim resistit quod subiectum est, sed miseri amici huius mundi, cuius domini erunt, si filii dei esse uoluerint, quoniam *dedit eis potestatem filios dei fieri* – amici ergo huius mundi tam timent ab eius amplexu separari, ut nihil eis sit laboriosius quam non laborare.

Augustinus Hipponensis, *De uera religione*, 35.65 (CCSL 32, K.D. Daur ed., pp.229-30, ll.1-21). cf. Sap. 1:1; Ps. 45:11; Math. 11:30; Iac. 4:4

13. Hiis rebus quibus beatus quisque uult effici seruiat. neccesse est. uelit nolit. nam quocumque duxerint sequitur. et quisquis ea uisus fuerit auferre posse metuitur. possunt autem auferre ista. et scintilla ignis. et aliqua parua bestiola.

    His autem rebus, quibus quisque beatus uult effici, seruiat necesse est, uelit nolit. Nam quocumque duxerint sequitur, et quisquis ea uisus fuerit auferre posse metuitur. Possunt autem auferre ista et scintilla ignis et aliqua parua bestiola.

    Augustinus Hipponensis, *De uera religione*, 38.69 (CCSL 32, K.D. Daur ed., p.233, ll.14-18).

14. Quisquis intus dei uerbo pascitur. non querit in ista heremo uoluptatem. qui uni deo tantum subiectus est. non querit in monte. id est in terrena elatione iactantiam. quisquis eterno spectaculo incommutabilis ueritatis adherescit. non per fastigium huius corporis. id est per hos oculos precipitatur. ut temporalia et inferiora cognoscat.

    Quamobrem quisquis intus dei uerbo pascitur, non quaerit in ista eremo uoluptatem, qui uni deo tantum subiectus est, non quaerit in monte, id est in terrena elatione iactantiam.

Quisquis aeterno spectaculo incommutabilis ueritatis adhaerescit, non per fastigium huius corporis, id est per hos oculos praecipitatur, ut temporalia et inferiora cognoscat.

Augustinus Hipponensis, *De uera religione*, 38.71 (CCSL 32, K.D. Daur ed., p.234, ll.49-55).

15. Noli foras ire. in te ipsum redi. in interiori homine habitat ueritas. et si tuam naturam mutabilem inueneris. transcende et te ipsum. sed memento cum te transcendis ratiocinantem animam transcendere. Illuc ergo tende unde ipsum lumen rationis accenditur.

    Noli foras ire, in te ipsum redi. In interiore homine habitat ueritas. Et si tuam naturam mutabilem inueneris, transcende et te ipsum. Sed memento, cum te transcendis, ratiocinantem animam te transcendere. Illuc ergo tende, unde ipsum lumen rationis accenditur.

    Augustinus Hipponensis, *De uera religione*, 39.72 (CCSL 32, K.D. Daur ed., p.234, ll.12-16).

16. Non est malum nisi peccatum. et pena peccati. hoc est defectus uoluntarius a summa essentia. et labor in ultima non uoluntarius.

    Sed sicut niger color in pictura cum toto fit pulcher, sic istum totum agonem decenter edit incommutabilis diuina prouidentia aliud uictis, aliud certantibus, aliud uictoribus, aliud spectatoribus, aliud quietis et solum deum contemplantibus tribuens, cum in his omnibus non sit malum nisi peccatum et poena peccati, hoc est defectus uoluntarius a summa essentia et labor in ultima non uoluntarius, quod alio modo sic dici potest: Libertas a iustitia et seruitus sub peccato.

    Augustinus Hipponensis, *De uera religione*, 40.76 (CCSL 32, K.D. Daur ed., p.237, ll.58-66).

17. Melius est ut homo nos uincat. quam inuidentia. uel quod libet aliud uicium. sed nec ab homine uinci potest. qui sua uicia uicerit. non enim uincitur nisi cui eripitur ab aduersario quod amat. Qui ergo amat id solum quod amanti eripi non potest. ille indubitanter inuictus est. nec ulla cruciatur inuidia. id enim diligit. ad quod diligendum et percipiendum. quanto plures uenerint. tanto eis uberius gratulatur.

    Melius est ergo, ut homo nos uincat quam inuidentia uel quodlibet aliud uitium. Sed nec ab homine uinci potest, qui uitia sua uicerit. Non enim uincitur, nisi cui eripitur ab aduersario, quod amat. Qui ergo amat id solum, quod amanti eripi non potest, ille indubitanter inuictus est nec ulla cruciatur inuidia. Id enim diligit, ad quod diligendum et percipiendum quanto plures uenerint, tanto eis uberius gratulatur.

Augustinus Hipponensis, *De uera religione*, 40.85-41.86 (CCSL 32, K.D. Daur ed., pp.243-4, ll.43-44, 1-6).

18. Ille uerissime atque certissime. inuictus homo est. qui coheret deo. non ut ab eo aliquid boni extra mereatur. sed cui nichil aliud quam ipsum herere deo est bonum. hic uir quamdiu est in hac uita utitur amico ad rependendam gratiam. utitur inimico ad pacientiam. utitur quibus potest. ad beneficientiam. utitur omnibus. ad beniuolentiam.

    Ille ergo uerissime atque certissime inuictus homo est, qui cohaeret deo, non ut ab eo aliquid boni extra mereatur, sed cui nihil aliud quam ipsum haerere deo bonum est. Hic uir quamdiu est in hac uita, utitur amico ad rependendam gratiam, utitur inimico ad patientiam, utitur quibus potest ad beneficentiam, utitur omnibus ad beneuolentiam.

    Augustinus Hipponensis, *De uera religione*, 47.90-91 (CCSL 32, K.D. Daur ed., pp.246-7, ll.28-34).

19. Hoc sine amore nostro aderat. quod sine dolore nostro discedit. uidetur ergo uincere. cum uincatur. qui superando ad id peruenit. quod cum dolore amissurus est. Et uincit cum uinci uideatur. Quisquis cedendo ad id peruenit quod non amittit inuitus. Quem delectat ergo libertas. ab amore rerum mutabilium. liber esse appetat. et quem regnare delectat. uni omnium regnatori deo subditus adhereat. plus eum diligendo quam se ipsum. et hec est perfecta iusticia. qua potius potiora. et minus minora. diligimus. sapientem animam atque perfectam talem diligat. qualem illam uidet. stultam non talem. sed qualis esse potest perfecta et sapiens. quia nec se ipsum debet stultum diligere. Nam qui se diligit stultum. non proficit ad sapienciam. nec fiet quisque qualis cupit esse. nisi se oderit qualis est. sed donec ad sapienciam. perfectionemque ueniatur. eo animo ferat stulticiam proximi. quo suam ferret si stultus esset et amaret sapienciam.

    Hoc enim sine amore nostro aderat, quod sine dolore discedit. Videtur ergo uincere, cum uincatur, qui superando ad id peruenit, quod cum dolore amissurus est, et uincit, cum uinci uideatur, quisquis cedendo ad id peruenit, quod non amittit inuitus. Quem delectat ergo libertas, ab amore mutabilium rerum liber esse appetat, et quem regnare delectat, uni omnium regnatori deo subditus haereat plus eum diligendo quam se ipsum. Et haec est perfecta iustitia, qua potius potiora et minus minora diligimus. Sapientem animam atque perfectam talem diligat, qualem illam uidet, stultam non talem, sed quia esse perfecta et sapiens potest, quia nec se ipsum debet stultum diligere. Nam qui se diligit stultum, non proficiet ad sapientiam nec fiet quisque qualis cupit esse, nisi se oderit qualis est. Sed donec ad sapientiam perfectionemque ueniatur, eo animo ferat stultitiam proximi, quo suam ferret, si stultus esset et amaret sapientiam.

    Augustinus Hipponensis, *De uera religione*, 47.92-48.93 (CCSL 32, K.D. Daur ed., p.248, ll.68-72, 1-12).

20. Quid appetit curiositas nisi cognitionem que certa esse non potest. nisi rerum eternarum. et eodem modo se semper habentium. quid appetit superbia nisi potentiam. que refertur ad agendi facilitatem. quam non inuenit nisi anima perfecta. deo subdita. et ad eius regnum summa caritare conuersa. Quid appetit uoluptas corporis nisi quietem. que non est nisi. ubi nulla est indigentia. et nulla corruptio.

    Quid enim appetit curiositas nisi cognitionem, quae certa esse non potest nisi rerum aeternarum et eodem modo se semper habentium? Quid appetit superbia nisi potentiam, quae refertur ad agendi facilitatem, quam non inuenit anima perfecta nisi deo subdita et ad eius regnum summa caritate conuersa? Quid appetit uoluptas corporis nisi quietem, quae non est nisi ubi nulla est indigentia et nulla corruptio?

    Augustinus Hipponensis, *De uera religione*, 52.101 (CCSL 32, K.D. Daur ed., pp.252-3, ll.14-20).

21. Miseri homines quibus cognita uilescunt et nouitatibus gaudent. libentius discunt quam norunt. cum cognitio sit finis discendi. et quibus uilis est facilitas actionis. libentius certant quam uincunt. cum uictoria sit finis certandi. et quibus uilis est corporis salus. malunt uesci. quam sanari. et malunt frui genitalibus menbris. quam nullam talem commotionem pati.

    Sed miseri homines, quibus cognita uilescunt, et nouitatibus gaudent, libentius discunt quam norunt, cum cognitio sit finis discendi. Et quibus uilis est facilitas actionis, libentius certant quam uincunt, cum uictoria sit finis certandi. Et quibus uilis est corporis salus, malunt uesci quam satiari et malunt frui genitalibus membris quam nullam talem commotionem pati.

    Augustinus Hipponensis, *De uera religione*, 53.102 (CCSL 32, K.D. Daur ed., p.253, ll.1-7).

22. Tota sanitas et nulla indigentia et nulla fatigatio aderit corpori. quia corruptibile hoc tempore. atque ordine suo quo resurrectio carnis futura est induetur incorruptione. non mirum autem si hoc dabitur. hiis qui in cognitione solam ueritatem amant. et in actione solam pacem. et in corpore solam sanitatem. hoc enim in eis perficietur post hanc uitam. quod in hac uita plus diligunt.

    Quia ex magna parte concordamus cum aduersario, dum cum illo sumus in uia, et tota sanitas et nulla indigentia et nulla fatigatio aderit corpori, quia corruptibile hoc tempore atque ordine suo, quo resurrectio carnis futura est, induetur incorruptione. Non mirum autem, si hoc dabitur his, qui in cognitione solam ueritatem amant et in actione solam pacem et in corpore solam sanitatem. Hoc enim in eis perficietur post hanc uitam, quod in hac uita plus diligunt.

Augustinus Hipponensis, *De uera religione*, 53.103 (CCSL 32, K.D. Daur ed., p.254, ll.25-33).